

beat. monasterio incumbit ei providere de expensis, sive litigium discutiatur intra, sive extra ordinem.

85. Curatoris, vel tutoris munus est omnino prohibere religiosis, & merito; quia dedecet eos, & quia nulla habent bona, quæ pro administranda tutela obligationi subjiciant. Hac ipsa ratione nequeunt esse fidejussores, nisi de licentia Prælati, & de consensu majoris partis capituli, quibus stantibus, potius communitas, quam religiosus, evadit fidejussor. Eodem modo, & non aliter potest religiosus esse depositarius; si vero aliter accipiat depositum notabile, peccat graviter contra obedientiam, & paupertatem.

## CAPUT III.

De triplici voto obedientiæ, castitatis, & paupertatis.

## PUNCTUM I.

De voto obedientiæ.

86. Inq. 1. Quid sit votum obedientiæ? R. Est deliberata promissio Deo facta obediendi propriis Superioribus præcipientibus juxta regulam, & constitutiones sui ordinis. Hoc votum est præstantius aliis duobus castitatis, & paupertatis; quia per castitatem offert homo Deo suum corpus, per paupertatem res temporales, per obedientiam vero suam voluntatem, & libertatem. Unde obedientia dicitur *servitium propriæ voluntatis*. Alia est obedientia materialis, aut generalis, que non est specialis virtus, sed in actibus omnium virtutum exercetur; sicut inobediencia materialis non est speciale peccatum, sed in omni peccato reperitur. Alia est obedientia formalis, que per se respicit præceptum ut tale, & hæc est specialis virtus, sicut inobediencia formalis est, que procedit ex intentione directa agendi contra præceptum, & hæc est speciale vitium prædictæ virtuti contrarium, estque contemptus formalis præcepti, ac proinde gravissimum peccatum. Non obedire autem ex aliis capitibus Superioris mandatio est etiam speciale peccatum inobedienciæ, licet non adeo grave.

87. Quatuor condiciones debet habere obedientia perfecta. 1. Quod sit *cæca* non absolute, ita ut, si v. g. Papa aliquid juberet, & alii Prælati; huic, & non illi esset obediendum; hoc enim intolerabile absurdum est, sed ne respiciat qualitates individuales, aut defectus Superioris, nec præcepti causas scrutetur, quærendo, *Quare?* vel *cur mihi?* & non alteri hoc præcipitur? Sufficit, quod non sit malum, quod jubetur, ut subditus, clausis oculis, ad litteram illud exequatur. 2. Quod sit *prompta*; nam verus obediens non pigre, lente, aut tarde, sed festinanter jussa adimplet. 3. Quod sit *fortis*, non tepide, aut timide, sed viriliter, & strenue, quod jubetur, fiat. 4. Quod sit *humilis*; humilitas enim est germana obedientiæ. Unde vere humilis, erit verus obediens. Contra vero, qui non est humilis, nunquam erit verus obediens. Ideo pauci inveniuntur veri obediens, quia pauci reperiuntur veri humiles. Hanc humilitatem commendavit Dominus, dum Discipulis dixit: *cum hæc omnia feceritis, que præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus.* Luc. 17.

88. Quatuor item gradus reperiuntur in obedientia. 1. Est exterioris exequi, quod præcipitur. 2. Id facere cum voluntate. 3. Facere etiam illud cum intellectu, hoc est, judicans id esse, quod convenit, quidquid oppositum rationes carnis oblatrent. 4. Obedire non solum præceptis, sed etiam insinuationibus, & voluntati, quomodocumque cognita, Prælati. Ad quod maxime conducit, quod religiosus in suo Prælate Deum consideret, ut sic ejus vocem, ac voluntatem, tamquam Dei voluntatem, & vocem exaudiat, & exequatur. Nam ut ait D. Bernardus *Opusc. de præcept. & disp. cap. 12. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, hunc secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Attende, quod non displiceat Deo, nam quod displicet Deo, nullatenus est faciendum; sed in in casu dubii debet Superiori obediri. Verus obediens errare nequit.

89. Triplex obedientia assignatur a D. Thom. nempe *necessitatis, perfectionis, &*

*indiscreta*. Obedientia *necessitatis*, seu *sufficiens* respicit præceptum, & hoc est ejus objectum proximum, seu ratio *sub qua*. Objectum autem remotum, seu *ratio quæ* sunt omnia, quæ continentur in regula tacite, vel expresse, & quæ ad ejus perfectam observantiam conducunt. Ad hæc enim obligatur religiosus ex vi voti in professione; ideo hæc obedientia dicitur *necessitatis*, quia ex vi voti necessaria est, & etiam est sufficiens, quia amplius non promittitur in voto. Obedientia *perfectionis* nec respicit præceptum, nec limitatur ad regulam; sed se extendit ad omnia, quæ illicita non sunt. Unde perfectus obediens non curat, si, quod præcipitur, est supra, vel præter regulam, sed seipsum in omnibus, quæ licita sunt, Prælatorum voluntati submittit, etiam præveniendõ eorum voluntatem, quomodolibet agnam. Hic est *vir*, qui loquetur *victorias*; hic in summa pace vivit in religione; & tandem in æternum requiescet in pace, quia in humeris alienis ascendit in æternam pacem. Primus gradus obedientiæ est *necessitatis*, cæteri sunt *perfectionis*. Obedientia, quæ etiam in illicitis obedit, est imprudentissima, & appellatur *indiscreta* a D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3.

90. Inq. 2. Quot titulis teneatur religiosus obedire Prælati? R. Ex triplici titulo, nempe titulo traditionis humanæ, quæ se tradidit religioni, & voluntati Superiorum: titulo voti Deo emissi obediendi Prælati ob ejus amorem: ac titulo jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ gaudent Prælati super suos subditos. Unde religiosus violans præceptum formale Superioris duplex specie peccatum committit; aliud contra votum, aliud contra justitiam ratione prædictæ traditionis. Præceptum formale apud nos extra visitationem non obligat, ut tale, nisi in scriptis, & his verbis ponatur: *In virtute Spiritus sancti, sanctæ obedientiæ, & sub præcepto*. Igitur præcepto formali tenetur subditus sub gravi obedire; mandatis autem simplicibus Superiorum sub veniali; mandis vero eorum, seu exhortationibus sub consilio. Verum si Superior interdum suspendit præcipere, aut prohibere, ut evitet subditi querelam, debet hic sub culpa facere, aut omitti-

re, quod Superior optat, aut renuit fieri, aut omitti a subdito agnoscente illius voluntatem. Sæpe enim Prælati silent, tacent, & quædam mala permittunt, ut majora evitentur, sed subditi a culpa non excussantur. *Dices*: subditus triplici titulo tenetur obedire Prælati, ergo si non obedit, triplex peccatum committit. R. neg. consequ. Quia prælati in suis præceptis non utuntur regulariter tertio titulo jurisdictionis Ecclesiasticæ.

91. Inq. 3. Quibus Prælati, & quo ordine teneantur subditi obedire? R. In primis summ. Pontifici, ut supremo Prælate, cui omnes religiones immediate subsunt. Deinde Capitulis, & Definitoribus generalibus, Generali, & Provinciali, & Capitulis Provincialibus. Denique Prælati locali, aut in ejus absentia post unum diem naturalem, ejus Vicario, aut Præsidenti. Non tenetur subditus obedire sibi inferioribus, nisi adsit præceptum Superioris ita disponens.

## PUNCTUM II.

De materia obedientiæ.

92. Inq. 1. Quenam sit materia obedientiæ? R. Esse omne id, quod continetur in regula, & constitutionibus tacite, vel expresse. Unde totum id, quod ad earum observantiam conducit, possunt præcipere Prælati, & subditus tenetur exequi obedientiam necessitatis juxta qualitatem rei præceptæ, aut modi præcipiendi. Ideo potest præcipere Prælati sub gravi rem ex se levem, si ad præfata observantiam ita conducatur, ut ne quis in celam alterius, vel in aliquam bonum sine licentia expressa ingrediatur. Cæterum ob unius, vel alterius culpam nequit Prælati imponere præceptum grave toti communitati, sed tantum transgressorii, & idem est de Generali respectu totius ordinis, & de Provinciali respectu provincie, quia non debent ob alicujus, vel aliquorum culpam innocentes præceptis gravare. Non tenetur Prælati causam præcepti exprimere, non enim tenetur suis subditis rationem de omnibus reddere, aut causas præcipiendi revelare, & sufficit rem præceptam ad majorem observantiam conducere, ut possit eam præcipere. Nihil.

hilominus circumspeditione, & pedetentim sunt imponenda, ne laquei conscientiae multiplicentur. Ideo satius est ut statutis mere poenalis, quam praeceptivis, ut fecere fere omnium religionum Legislatores, & patet ex nostris constitutionibus, quae tantum ad poenam in eis taxatam, & regula, quae solum ad culpam levem obligant, prout in ipsis habetur 1. p. cap. 1.

93. Inq. 2. An Praelati possint praecipere aliquid contra, praeter, vel supra regulam? R. Quod contra regulam nullus Praelatus valet quidquam praecipere, nisi quandoque, gaudens potestate in ea dispensandi, jubeat, quod alias est contra illam; ut si mihi juberet carnem comedere, teneor obedire, quia hoc ipso, quod praecipiat, censetur dispensare, & judicare de eo ipsum ex justa causa moveri. In his autem, quae propriae commoditati, genio, voluptati, & aliis, quae honorem, & auctoritatem afferunt subdito, melius est humiliter ea aliquantulum recusare, quam hilariter, & prompte obedire. Nec praeter regulam possunt Praelati absolute praecipere, quia contra, quam praeter regulam praecipere, excedit facultatem Praelati, cui subditus ex vi voti solum promisit obedire juxta regulam. Ideo in rebus indifferentibus, aut laxioribus regula, non tenentur subditus obedire: nisi res alias indifferentes jubeantur, aut prohibeantur ex justa causa; tunc enim ex circumstantia adjuncta possunt conducere ad majorem regulae observantiam, ut si jubeatur religioso aliquando deambulare, vel quiescere, ut exinde ferventior redeat ad observantiam regularem.

94. Praelati particulares nequeunt praecipere supra regulam, quia Praelatus non est iudex, sed custos regulae. Unde nequit gravare subditos etiam in una *Ave Maria*, & minus in aliqua austeritate, nisi publica necessitas placandi divinam clementiam, quandoque postulet fieri peculiarem rogationem, jejunium, vel aliam austeritatem communem. Capitulum autem generale potest statuere, seu prohibere aliquid, quod judicet conducere ad majorem observantiam votorum, licet in regula non contineatur.

95. Inq. 3. An Praelati possint cogere subditos observare regulam antea collapsam, ab ipsis jam reformatam? R. Sub distinctione: Vel enim regula est mitigata pontificia auctoritate, vel est collapsa ex abusu, & prava consuetudine. In primo casu non tenentur subditi admittere reformationem, quia mitigationem factam legitima potestate professi sunt. In secundo autem casu tenentur subditi obedire Praelatis. Imo hi semper tenentur conare sollicitè reformationem regulae ex abusu collapsae, & subditi sub eadem gravi obligatione eis non contradicere, sed potius semper debent esse parati ad amplectendam regulam a Praelatis reformatam. Imo quantum in se est, debent eam sincero animo optare, & suo modo procurare; alias sunt in maximo salutis aeternae periculo tam subditi, quam Praelati. Idem teneas de obligatione curandi, & acceptandi vitam communem, a Christo, ejusque Apostolis opere, & sermone edoctam, a Fundatoribus religionum in suis regulis praescriptam, a Conciliorum, & Pontificum repetitis decretis praecipit. Relaxatio enim vitae communis est relaxatio religionis, ut ab omnibus deploratur. Utinam tanto malo remedium efficax reperiretur!

96. Inq. 4. An Praelati possint mittere subditos ad Indos, ut visitent, vel commorentur in conventibus ordinis? R. Hoc solum posse verti in dubium ab aliquo sciolo, qui vix Theologiam a limine salutaverit; sed quia aliquando talis repertus fuit, sciamus omnes, Praelatorum regularium jurisdictionem non esse territorio ligatam, quia non respicit territoria, sed personas. Alias missio fratrum ad conventus ordinis, ubicumque sint, non est supra, nec contra regulam, sed potius intra regulam, supposito, quod missio bono religionis expediat. Igitur dubitari nequit de hac potestate in Praelatis. Verum licet Praelati possint mittere subditos etiam ad terras infidelium pro regimine, vel utilitate ordinis, non tamen ad praedicandam fidem haereticis, aut infidelibus; hoc enim opus est supra regulam, & valde arduum, quod subditis solum ex praevio eorum consensu, aut voto valet imponi. Eadem ratione nequit Praelatus praecipere

sub-

subditis, ut assistant in corporalibus infirmis extraneis peste laborantibus; neque in spiritualibus, nisi in defectu Parochi, aut aliorum ministrorum. Infirmis autem ejusdem ordinis, etiam peste infectis assistere in corporalibus, & spiritualibus compelli possunt subditi, quia hoc ad bonum commune ordinis conducit. Imo ipsi Praelati, tamquam Parochi, & Pastores debent primi huic assistentiae operam dare. De cetero non tenentur subditi cum periculo vitae obedire Praelatis, quia lex humana non obligat cum vitae periculo, aut gravi incommodo, nisi alias id ad bonum commune valde conducatur.

97. Inq. 5. An subditus teneatur obedire Praelato cum dubio, vel opinione probabilis, quod Praelatus rem illam sibi praecipere non possit? R. affirm. Quia semper, ac res imperata licita sit, tenentur subditi iudicium proprium Praelati iudicio submittere. Nescit enim judicare, qui obedire didicit: nec subdito competit examinare potestatem Praelati. Solum quando subditus esset munitus opinione longe probabiliori, posset humiliter se excusare ab obedientia, quia sic potest quis eximi etiam a lege divina, ut patet in lege praecipiente, juxta aliquos, contritionem perfectam pro sacramento poenitentiae, a qua liberatur fidelis per opinionem longe probabiliorum asserentem sufficere attritionem vere supernaturalem, ut ajunt etiam severioris aethices patroni.

## PUNCTUM III.

## De voto castitatis.

98. Inq. 1. Quid sit votum castitatis? Responderi Concina in Compendio: *Est abstinentia perpetua ab omni actu venereo tam interno, quam externo.* Sed haec definitio potius virtutem, quam votum castitatis explicat; nam dicta abstinentia non est votum, sed res promissa per votum. Ideo resp. *Est deliberata promissio Deo facta abstinendi a rebus venereis verbo, opere, & cogitatione.* Si votum est solemne, additur *Deo facta cum solemnitate.* Votum autem solemne specie differre a simplici tenent plures con-

tra plures; debere distincte explicari in confessione peccatum, seu sacrilegium contra illud commissum, probabiliter censemus. Sacrilegium autem in hac materia potest esse simplex, duplicatum, aut triplicatum. Si enim ligatus castitatis voto peccet secum, vel cum non habente illud, est simplex; si autem peccat cum alio illud etiam habente, est duplicatum; si denique ambo ligati voto in Ecclesia actu externo graviter illud violent, est triplicatum sacrilegium: quidquid enim in persona soluta est contra castitatem, in habente votum castitatis est etiam contra religionem, & consequenter sacrilegium. At juxta dicta aliud est sacrilegium contra votum simplex, aliud gravius contra solemne.

99. Duplex autem agnoscit Ecclesia votum solemne castitatis, alterum, quod in receptione ordinis sacri emittitur, alterum, quod fit in professione solemni religionis. Eorum differentia quoad annullandum matrimonium ratum antecessens, & quoad alios effectus constat ex tractu ordinis, & matrimonii. Suppositis igitur ibi, & alibi dictis de castitate, & ejus voto, hic solum proponemus quaedam media ad melius adimplendum hoc votum potius Angelicum, quam humanum, quia in carne praeter carnem vivere, Angelicum, potius quam humanum, est.

100. Inq. 2. Quae sunt media pro tuenda castitate efficaciora? R. inter alia esse quatuor, ad quae caetera reducuntur; sunt autem haec, asperitas vitae, solitudo, fervens oratio, ac seria ignis aeterni meditatio. Primo enim sicut lilius inter spinas, ita castitas floret inter carnis asperitates. Unde ipsa castitas dicitur a *castigando*, quod innuitur, quod, deficienti castigatione, evanescit castitas. Hinc fere omnes religiones plus, minusve instituta sunt in vitae austeritate, praescribendo jejunia, flagellationes, abstinentiam a carnibus, lecti duritiam, vestium asperitatem, & alias corporis macerationes ad castitatis praesidium. Sicut enim equus sine freno in praecipit ruit, sic corpus sine mortificatione in illicita diffiluit. Quapropter Apostolus, licet in tertium caelum evehus, castigabat suum corpus, & servituti subiciebat, in vi-

ce-

432. concupiscens adversus spiritum: docens illos, qui nec sunt Apostoli, nec in celum eVecti, quid agere debeant, si volunt candorem animæ, & castitatem illas custodire.

101. Secundo multum juvat ad servandam castitatem solitudo, quia in hac lucra præcipua victoria consistit in fuga. Ideo Sancti angelicam puritatem emulandi cupientes, olim in deserta fugiebant. Hac eadem causa religiosi in principio suæ vocationis, agnoscentes pericula sæculi, dant mundo libellum repudiij, & ad secessum monasterij confugiunt. Separantur enim a sæculo, ut sublata omni occasione, facilius castitatem conservare valeant. Fugiende sunt igitur occasiones hanc limpidissimam cristallum offuscandi; præcipue tamen vitanda est familiaritas mulierum, ac etiam juvenum inter se, esto spirituales sint. Incipit enim quandoque familiaritas a devotione; principium quidem purum est, ac nisi fugiendo vitetur, desinit in carne, & qui se invicem cœperunt alloqui, ut Angeli, jam sub specie affectionis spiritualis reperiuntur vinculo amoris carnalis ita ligati, ut non possint sine tristitia ab invicem separari. Hinc plurima pericula, detrimenta, ac præjudicia patiuntur, quæ non aliter, nisi fugiendo, vitantur, ut ait D. Thom. in Opusc. de modo confitendi, & puritate conscientie cap. 22. ubi addit: *personæ tales, quandiu sunt hac sagitta percussæ, quasi nunquam pure, & integre confitentur.*

102. Dices: Ergo quælibet tristitia de absentia Confessarii in filia spirituali erit culpabilis? R. neg. consequ. Quia tristitia infirmi de absentia medici, qui illum curat, non est culpabilis, nisi excessu vitetur. In excessu potest misceri aliqua culpa propria humanæ imbecillitatis, quæ a ratione correctæ, manet tristitia in linea naturali, & supposito fine honesto, posset esse meritoria, ut si tristetur de privatione profectus spiritualis, quem in directione talis Confessarii percipiebat: ut sibi non semel accidisse ingenuè fateatur Sancta Teresa, ex cujus cælesti doctrina variis in locis tradita plura satis utilia disci valent pro hac materia. Videatur in *Fragment. post ejus vitam num. 8. Et in via perfecti. cap. 4.* Ubi egre-

gie docet præjudicia nimie familiaritatis etiam inter personas ejusdem sexus, & maxime Confessarii, & quod non omnis affectio est mala. Religiosus igitur, si vult esse castus, sit cautus. Servet clausuram, & clausura illum servabit.

103. Tertio pro custodia castitatis requiritur fervens oratio, sæpe repetendo illud Augustini: *Domine da, quod jubes, & jube, quod vis;* quia nisi Dominus custodierit civitatem; frustra vigilant, qui custodiunt eam. Quamvis enim omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, hoc tamen castitatis donum peculiariter est cælestè, & desursum respectu naturæ fragilis, lutæ, & vitiatæ: Solus quippe Deus potest facere mundum de immundo conceptum semine. Quapropter fervide, & continuo cor mundum est deprecandum a Deo, & ab ejus sanctissima matre, peculiari omnis puritatis opitulatrice.

104. Quarto pro tanti doni assecutione, & conservatione est medium efficacissima meditatio ignis æterni. Igne enim illo æterno extinguitur concupiscentiæ ignis, ac velut fele piscis Tobie Asmodeus, & ejus insidie repelluntur, & acquiritur timor Dei ad confingendas carnes. Hic ergo, & aliis mediis debet curare quicumque voto castitatis se Deo consecravit, corpus suum ab omni labe immaculatum custodire, ut impleat votum, quod ipse sponte emisit, & licet castitas præcipue in corde retinenda, sit exterius etiam fovenda est. Ignoro autem, quomodo illam servare possint sive regulares, sive sæculares, qui de oratione, aut sempiterno igne vix cogitant, castigationis corporis non recordantur, occasionebus se exponunt, de modestia oculorum non curant, conversationibus, & familiaritatibus feminarum continuo vacant. Melius fuisset castitatem non vovisse, quam post votum manifesto suæ salutis periculo secundum carnem vivere, vel potius in æternum mori; nam, *qui amat periculum, in illo peribit. Eccles. 3. 27.*

## PUNCTUM IV.

## De voto paupertatis.

105. Inq. 1. Quid sit votum paupertatis? R. Est *deliberata promissio Deo facta se abdicandi omni dominio, proprietate, & usu independenti cujuscumque rei pretio æstimabilis.* Paupertas autem religiosa est *voluntaria rerum abdicatio, per quam religiosus earum proprietate, & usu independenti priuatur.* Hæc paupertas voto firmata efficit religiosum incapacem non solum domini, sed etiam usus rei independentem a voluntate Superioris. Unde paratus esse debet exui omni possessione, & usu, quoties id Superior jusserit: nec potest quidquam abscondere Superiori aut ab ejus libera dispositione subducere sub culpa, & pœna proprietarii. Nisi aliquid occultet non Prælo, sed ne ab aliis accipiatur, quia ipse, in brevi iter acturus, eo indiget; nam qui Prælo nihil cælat, proprietarius dici non potest.

106. Inq. 2. Quis dicatur proprietarius, & quæ pœna proprietarii in jure sint impositæ? R. Quod proprietarius absolute dicitur, qui quomodolibet voti paupertatis in materia gravi violator existit, quia votum paupertatis violator solum per proprietatem, sive sit domini, sive usus independentis. At proprietarius quoad pœnas juris solum dicitur, qui est convictus habere pecunias, vel res pretiosas sine licentia. Duplex autem species pœnarum assignatur in jure contra proprietarios, de tali crimine convictos. Prima a Tridentino *sess. 25. cap. 2. de regular.* quæ est privatio vocis activæ, & passivæ per biennium, & quod puniatur juxta suas constitutiones. Apud nostras additur pœna carceris sine dispensatione. Secunda, quod si tempore mortis propriam quis pecuniam habere reperitur, non in loco sacro, sed in sterquilino sepeliatur cum pecunia, vel ejus parte, ut verificetur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Act. 8. 20.*

107. Ultra has pœnas sub aliis privationis dignitatum, & officiorum, & inhabilitatis ad illa, infamiaeque perpetuæ, vetuit Clemens VIII. Prælo, & cæteris religiosus facere donationes, seu largitio-

nes notabiles. Novissime Benedict. XIV. in const. incipiente *Pastor bonus* confirmativa Clementis decrevit, nec a Pœnitentiario majori esse absolvendum accipientem a regularibus donum, excedens valorem decem sputorum moneta, hoc est, centum juliorum, quin prius restituat illud conventui, seu religioni, vel det cautionem quam primum restituendi. Accipientis vero ab eis infra prædictum valorem, sub eadem obligatione restituendi, absolvi possit a dicto Pœnitentiario, vel a Confessario per eum eligendo. Non tamen prohibent hæc decreta, nec decet, quod prohibeant Prælo facere aliquas donationes, & maxime remuneratorias benefactoribus, & eleemosynas juxta vires conventus, ut prudentia dictaverit; quia hoc postulat recta domus administratio; neque prohibent, quod religiosi de licentia Superioris aliquas eleemosynas, aut modicas donationes faciant. Solum ergo prohibent notabiles munera largitiones, aut donationes omnino liberales.

108. Inq. 3. An religiosus peccet contra paupertatem, quoties furando peccat contra justitiam? R. affirm. Quia est aliqui putent, quod religiosus furans quidquam a seculari ex licentia Superioris monasterio tradendum, non peccare contra paupertatem; verius est oppositum, licentia enim adeo injusta nulla est omnino. Igitur in casu dicto adest duplex peccatum, & furti, & violationis voti. Idem est, quoties religiosus res conventus, vel a seculari donatas sine licentia accipit, retinet, vel expendit. Si autem secularis manens cum dominio rei concederet illius usum religioso, & hic illa uteretur sine licentia, peccaret contra paupertatem propter usum in dependentem, non vero contra justitiam, quia nulli injustitiam facit. Potest igitur religiosus peccare contra paupertatem, quin peccet contra justitiam, sed si peccat contra justitiam furando, peccat etiam contra paupertatem.

109. Inq. 4. An Prælo teneatur sub gravi providere religiosus de omnibus necessariis juxta consuetudinem, & paupertatem ordinis? R. affirm. Quia aliter tribuit subditis occasionem committendi plures defectus contra paupertatem, quaerendo forte sub specie necessitatis etiam sa-

perflua. Unde Prælati, ne ordinem exponant periculo relaxationis, plus se inclinare debent ad liberalitatem, quam ad parsimoniam, ne contingat illud Bernardi: *Ubi non est abundantia, non est observantia.* Religiosi autem, dum aliquid eis deficit, recollere debent se pauperes esse, paupertatemque Deo sponte vovisse, & pauperum esse modicis esse contentos, & necessariis sæpe carere, atque defectum æquanimiter tolerare, nec enim divites possunt omnia pro votis habere. Vereandum est, ne quidam in religione velint commoditates, quas forte in sæculo non haberent, arceanturque ob id ab illa amplissima Christi promissione, nempe sessionis, & potestatis judicariæ, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ. Hæc enim promissio facta est Apostolis, & viris religiosis, qui relinquendo omnia, ut veri pauperes intus, & foris, hoc est, corde, & opere Christum secuti fuerint. Si ergo cupimus conjudices sedere cum Christo in judicio, amplectamur propter ipsum veram paupertatem in hoc sæculo.

110. Inq. 5. An habere bona in communi sit contra votum paupertatis? R. neg. Quia sic dominium est penes religionem, ad subveniendum particularium necessitatibus: quod ipse Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo, & fiebat ab Apostolis in primitiva Ecclesia. Quæ autem religiones valeant possidere bona immobilia diximus in tract. de dominio. Cavendum tamen est, ne aliqua religio habeat superabundantes divitias, ita ut etiam particulares inde superbiant, & glorientur in multitudine divitiarum suarum. Sic enim essent non solum contra votum, & perfectionem religionis, sed etiam ruina ipsius religionis, ut aperte quondam prædixit venerabilis Joannes de Palafox de quadam familia, de qua prænuñtiavit multa, & completa sunt omnia. Hæc dicimus, ut sit.

*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

## PUNCTUM V.

## De actionibus voto paupertatis prohibitis.

111. Inq. 1. Quæ actiones per votum paupertatis sint prohibite religioso? R. Tres præcipuæ, ad quas cetera reducuntur, nempe *acquirere, seu recipere, retinere, & uti sine licentia*, vel rem consumendo, vel eam quomodolibet expendendo, seu alienando. Unde religiosus accipiens aliquid sine licentia a secularibus, peccat contra paupertatem, quæ prohibet quidquam sine licentia recipere. Nisi accipiat ad tradendum quamprimum Superiori, vel animo non utendi re sine licentia, quia in his, & similibus nec dominium, nec usum recipit sine licentia. At si pecunias, aut rem pretio æstimabilem acciperet, ac retineret velut in custodia apud se, vel apud alium, etiam manente dominio apud dantem, & animo petendi licentiam, quando eis uti velit, illa retentio est velut species peculii occulti, ideoque, nisi brevis sit, bis reprobat.

112. Inq. 2. An si quis pecuniis ab amicis datis libros, aut alias res emat, & palam in cella cum aliis ex licentia habitis exponat, ut eas possit videre Prælati, peccet contra paupertatem? R. affirm. Quia nec accipere, nec emere, quidquam valet religiosus absque licentia, alias posset emere quemcumque illi placerent ad illa palam retinenda in cella, quod est absurdum. Et licet non occultet Prælati rem, celat rei emptionem, quod est contra votum. Idem est, si res accipiantur sine licentia a monasterio, vel ab alio, cui ad usum sunt applicatæ, ut vestes, libri, & similia, quia licet onania sint communia, non tamen, ut quisque accipiat, quod sibi placeat, sed ut ex communi penu singulis distribuatur ad placitum, & nutum superioris, inspectis et atibus & necessitatibus singulorum. Quare qui absque illius consensu aliquid ex bonis communibus, seu alteri legitime concessis, sibi arrogat, peccat juxta quantitatem rei acceptæ, & restituere tenetur. Nec dicas, Prælati hoc videt, & silet, ergo possum illud facere. Non est legitima consequ.

## Cap. III. De triplici voto obedientiæ, castitatis, &amp; paupertatis. 435

seq. ut dicemus num. 129.

113. Gravius peccaret, qui ex cella alterius manuscripta concionum, vel alterius generis acciperet, sibi que transcriberet; si enim quandoque est peccatum grave accipere sic librum magnæ estimationis alteri a Prælato concessum, quanto gravius erit surripere manuscripta peculiariora? Regulariter tamen excusatur a mortali acceptio brevis, ut per unum, aut aliquos dies, quia merus usus non diuturnus rerum communium non reputatur gravis violatio paupertatis. Si vero fuerit ad multum tempus, esto res accipiantur ab extraneis, ultra eas conferentibus, adhuc manente domino apud ipsos, est mortale; quia tam usus, quam acceptio ad multum tempus graviter opponitur paupertati.

114. Inq. 3. An religiosus, paulatim ex bonis monasterii modica accipiens, peccet graviter, si perveniat ad gravem quantitatem? R. affirm. Quia licet acceptiones seorsim consideratæ sint leves, ut continuatæ tamen, moraliter conflant in ultima peccatum grave. Si discontinuentur moratim juxta dicta tomo precedenti de parvis furtis, manent in ratione furti levis. Idem est respectu accipientis modica ab extraneis, vel expendentis paulatim de rebus monasterii, vel sibi ad usum concessis, de omnibus enim levibus culpis contra paupertatem, sive sint ejusdem, sive diversi generis, eadem est ratio: omnes quippe considerantur, ut quedam furta levia, quæ continuata materiam gravem constituunt.

115. Accipere ex monasterio res comestibiles, simul in magna quantitate est peccatum grave, quia in hoc grave detrimentum inferitur monasterio. Major vero quantitas requiritur in his rebus ad culpam gravem; nisi res comestibiles sint pretiosæ, extraordinariæ, vel ex his, quæ reservantur hospitibus, aut infirmis, vel pro aliqua peculiari solemnitate: tunc enim minor quantitas sufficit ad grave, quia in his casibus rationabiliter præsumitur invitum Superior quoad substantiam. Idem est, si ex poculentis, vel esculentis ordinariis paulatim aliqua accipiantur, ut reserventur, & inde possit, qui surripit accipere, dum voluerit, quia sic moraliter uniuert acceptiones. At accipere ex

monasterio poculenta, aut exculenta ordinaria pro usu presentaneo, regulariter non reputatur gravis violatio paupertatis, quia Superior solum quoad modum ceasetur invitum. Idem communiter asseritur, si accipiantur a secularibus ob eandem rationem; nisi sint in magna quantitate, vel magni valoris; tunc enim ipsa occulta acceptio est gravis violatio paupertatis, alias posset religiosus etiam accipere ab amico magnam copiam v. g. chocolatae, aut vini excellentis sine gravi fractione paupertatis, quod nemo dicere jure valet. Accipere paulatim a monasterio res comestibiles ad dandum extraneis est periculosum, ideo timorati ab his munusculis prudenter abstinent, ne sensim perveniant ad materiam gravem.

## PUNCTUM VI.

## De prohibitione paupertatis circa usum.

116. Inq. 1. Quomodo paupertas religiosa prohibeat usum rerum? R. Prohibere usum independentem eodem modo, ac dominium. Imò potius nocet paupertati usus liber, quam dominium, sicut plus nocet usus gladii, quam ejus dominium. Quid enim interest carere dominio rerum, si quis libere ad suum placitum habeat earum usum? Peccat igitur graviter religiosus inprimis in usu cujuslibet rei notabilis independenti, nisi brevitatis temporis eum excuset a gravi. Deinde peccat graviter, si utatur rebus sericis, aureis, argenteis, vel aliis pretiosis in cella, vestibus, mensa, aut in cartula pro tabaco, aut quavis alia supellectili; horum enim usus est prohibitus religionis, multumque dissonant eorum statum. Non parvum mihi scandalum foret videre, vel utensilia serica pro emungendis naribus, vel argentea pro tabaco portando. Circa quod valde notabile est exemplum sanæ mem. Clem. XIV. qui quondam in suo Palatio Quirinali tenens in manu tabaci cartulam vetustam, pauperissimam, & fere nullius pretii, dixit mihi lingua Italica: *È cartula, qua utebatur Fr. Laurentius Ganganelli, nec porto, nec volo aliam.* Remansi demiratus non minus de humanitate tanti

Principis, quam de ejus humilitate, & paupertate; haec enim, etiam ad summi Pontificatus culmen evehctus, ita amabat, ac dum erat religiosus Franciscanus. Discamus ceteri eam amare, saltem dum sumus pauperes religiosi. Præterea religiosus peccat graviter, si de rebus sibi ad usum concessis non curet, non bene tractet, aut ex ejus dissidia amittantur, deteriorentur, aut citius consumantur. Denique graviter peccat, si de eisdem rebus, & a fortiori si de monasterio acceptis quidquam notabile donet, expendat, permutet, etiam cum religiosis ejusdem conventus, ad longum tempus mutuet, vel quomodocumque alienet sine licentia; quia hæc, & similia sunt propria habentis dominium, administrationem, aut usumfructum; & religiosus est merus usuarius, qui non potest usum sibi permissum alteri concedere. Officialis monasterii non ad suum, sed ad Prælati placitum debent disponere de rebus sibi commissis, alias excedunt facultatem delegati. Officialis est merus executor voluntatis Prælati, ergo peccat, quoties ab ea devius, quidquam expendit, vel disponit.

117. Non mihi placet sententia asserens, quod religiosus possit expendere sine licentia, quidquid superest ei de rebus sibi concessis, parcius edendo, aut bibendo: illæ enim res sibi subtractæ sunt monasterii; & religiosus est, ut diximus, merus usuarius, & velut invitatus ad mensam, qui nequit alteri dare ea, quæ sibi subtrahit, vel supersunt. Solum admitto dictam sententiam, quando Prælati expresse diceret religioso, quod ad suum placitum possit agere de rebus, quæ sibi ex itinere, negotio, aut cibo superfluerint. Nequit religiosus remittere, quod sibi debetur ab extraneis, ut legatum ei relictum, vel talis quantitas sibi danda quotannis, quia debiti remissio est quædam donatio, & omnis donatio sine licentia est prohibita religioso. Potest tamen non acceptare, quod ab alio sibi donatur, vel recusare ex justa causa legatum, priusquam sibi relinquatur; votum quippe non obligat ad acquirendum, sed ad non accipiendum, retinendum, utendum, vel expendendum sine licentia. Potest vero adesse culpa contra caritatem in recusatione, impediendo sine justa causa

bonum religionis. At cessat omnis culpa si recusatio fiat ob majorem edificationem, perfectiorem paupertatem, vel aliud motivum honestum.

118. Si religiosus volenti sibi dare aliqua dona, antequam eam acceptet, roget, ut det illa amico, vel consanguineo, non agit contra votum, quia tunc solum adest quædam intercessio, & non acceptatio, quæ juxta dicta non prohibetur a voto. Si autem religiosus illa absolute acceptavit, jam non potest id facere, quia posita acceptatione, monasterium acquirit jus. Quando aliquis tribuit religioso pecunias erogandas in eleemosynas, si pauperes designavit, potest illas eis distribuere sine licentia, nec voti fractione, quia nihil tunc acquirit religiosus. Idem dicunt plures, esto pauperes non designentur ob eandem rationem. Verum in utroque casu consulendus est Superior, ut sciat unde, & cur subditus pecunias contrectat. Idem est, si quis rem, vel nummos tradat religioso ad custodiam, quia nihil horum expedit, inconsulto Superiore, fieri a religioso; nisi in casu, quo Superior facile adiri non possit.

119. Inq. 2. An usus peculii sit licitus religiosi? R. neg. Quia peculium, tamquam voti paupertatis, & vite communis eversivum, prohibitum est religiosi utriusque sexus pluribus decretis conciliaribus, & pontificiis. Unde tenentur sub gravi, tam Prælati, quam subditi curare diligenter, ut peculia a suis domibus procul abigantur; Prælati, providendo subditis de necessariis, & subditi, non querendo etiam superflua prætextu necessitatis. Hæc enim, ni fallor, est præcipua radix peculiorum. Vix quippe est religio, quæ denegat necessaria suis alumnis, nam si religio vere necessaria non subministrat, licet subdito uti peculio, solum ad necessaria sibi comparanda, tradendo, quod superest religioni. At plura sunt monasteria utriusque sexus, quorum redditus abunde sufficiunt, ad suppeditanda necessaria religiosi, si isti, ut veri pauperes, paucis velient esse contenti. Igitur peccat graviter, si non current abdicare pecunia, & amplecti vitam communem. Quomodo autem hoc magnum opus sit perficiendum, viderint illi ad quos spectat; in nostra enim sacra religio-

## PUNCTUM VII.

## De licentia requisita ne violeatur votum paupertatis.

gione peculia sunt penitus eliminata, vita communis admissum servatur; & nihil nobis deficit secundum paupertatem ordinis. Quædam observata digna pro vita communi instauranda suggerit Benedictus XIV. in syn. lib. 13. cap. 12. num. 21.

120. Inq. 3. Quænam quantitas requiratur ad gravem violationem voti paupertatis? R. Esse difficile determinatum; pendet enim ex circumstantiis disciplinæ, rei datæ, vel acceptæ, modi dandi, vel accipiendi, eorum a quibus accipitur, & quibus datur, & aliis, quæ non facile assignari valeat in particulari. Nam in primis non viget eadem disciplina paupertatis in omnibus religionibus; quare quod in religione reformata est grave, in alia erit leve. Deinde res accepta, vel data potest esse esculentum, aut pecunia, & minor quantitas sufficit ad grave in pecuniis, quam in esculentis. Præterea circa modum accipiendi, vel dandi, si est paulatim, major quantitas requiritur ad grave, quam si simul detur, aut accipitur. Idem est circa personas, a quibus accipitur, minor enim quantitas clam accepta a monasterio, quam a seculari sponte dante, sufficit ad grave. Qua ratione aliqui hoc negotium relinquunt arbitrio prudentum, ut juxta circumstantias violationis judicetur levis, vel gravis. Alii in varia placita abeunt; mihi tamen plus arridet opinio dicentium, quod in pecuniis quantitas octo regalium respectu cujuscumque religiosi est gravis; in esculentis autem valor duodecim regalium etiam judicandus est gravis, maxime si simul accipiantur, vel dentur. Circa alias res proportionabiliter est judicandum: Si autem in aliqua religione minor quantitas sit assignata pro gravi, communi intelligentia, vel statuto, huic omnino standum est. Sed ubi præfixa non est, religiosus, qui agit de perfectione, fugiat pericula, & contingentias, si quod acceptat, dedit, vel retinet, pertingit ad mortale, vel non; petat licentiam, & exeat a scrupulis, ut bene ait quidam asceticus.

121. Inq. 1. Quotuplex sit licentia? Resp. Est triplex, nempe *expressa*, quæ verbo, vel scripto expresse conceditur; *tacita*, ut quæ hic, & nunc præsumitur adesse; Prælatumque consentire; unde dicitur *præsumpta*, & *interpretativa*, quia interpretatur adesse voluntatem Prælati, & ad hanc reducitur illa, quæ habetur ex episcopica. Tertia licentia dicitur *virtualis*, & est illa, quæ in alia expressa continetur, ut si cui concedatur licentia ad iter agendum, consequenter conceditur etiam ad ea, quæ pro itinere agendo sunt necessaria præcise. Juxta omnes licentia expressa, & virtualis sufficit, ut religiosus licite operetur in materia paupertatis. Quando sufficit præsumpta est difficultas, de qua puncto sequenti. Ut autem licentia sit valida, triplex etiam, ut superius diximus, requiritur conditio; videlicet, quod sit *voluntaria*, *legitima*, & *justa*. Non enim quælibet licentia, quomodocumque habita, excusat a violatione paupertatis, nisi cum triplici dicta conditione, hoc est, quod sit sponte data, non vi, dolo, aut fraude extorta; quod concedatur a legitimo Prælato, sive immediato, sive Superiore; & quod adsit causa, seu necessitas vera. Nec sufficit sola necessitas, nec licentia sola, sed utraque debet simul concurrere. Ut si egeas hoc libro, hac veste, vel alia re, a nemine, etiam ultro offerente, potes eam sumere, nec illa uti sine licentia. Nec licentia illam habendi, & utendi est valida, si ea non indigeas, quia ad superflua non est justa licentia, proindeque nec valida pro foro interno, & coram Deo, cui omnia patent.

122. Quidquid alii sententiant, mihi videtur dolosa licentia illius, qui, intendens coacervare magnam summam, & sciens a nullo Prælato sibi fore dandam licentiam ad totam, petit illam a Priore ad unam partem, a Provinciali ad aliam, & ad aliam a Generali, quia cælans uni alterius licentiam, omnes decipit: faten-

tur enim hujus opinionis patroni, quod nullus Prælatus concederet licentiam ad totam summam, ergo subreptitia est. Alii tenent, quod si religiosus habet licentiam expendendi aliquam pecuniam in usus determinatos, valet eam expendere in alios aequivalentes, aut meliores. Verum hoc solum est admittendum, quando variatio æque cedit in bonum monasterii, & adest ad eam voluntas præsumpta Superioris. Ex se enim licentia ad usus determinatos, non se extendit ad alios; hoc quippe est proprium licentiæ generalis, qua conceditur religioso expendere in usus licitos, quæ sibi convenient.

123. Inq. 2. An si Prælatus concedat licentiam generalem subdito, expendendi aliquas pecunias in usus, quos voluerit, possit illas expendere in usus illicitos, aut turpes? R. neg. Quia Prælatus nequit dare licentiam ad tales usus, ergo nec subditus valet quidquam in eosdem expendere. Et si quid notabile ita expendat, recipiens tenetur restituere, quia invalide illud recipit. Est enim regula generalis, quod, quoties quis accipit a religioso id, quod non potest dare, expendere, seu alienare, tenetur restituere illud monasterio, vel ipsi religioso. In defectu autem accipientis, ipse religiosus, si commode possit, ex aliis bonis, sibi ad usum concessis, vel alio modo restituere debet monasterio, quod invalide, aut sine licentia dedit, aut expendit. Quoniam injuria illata resarciri debet eo modo, quo possit. In religionibus reformatis, ubi religiosus nihil habet ad usum præter necessarium, ex hac parte excusatur a restitutione rei male expensæ, seu consumptæ, securius tamen agat, si petat remissionem, aut condonationem a Superiore, vel etiam ab extraneo, si huic grave damnum intulit, vel quidquam notabile, quod jam non extat, substituit. Si enim res extat, restituere illam debet monasterio, vel cui libet alii, a quo sublata fuit.

124. Inq. 3. An religiosus possit aliquam pecuniam ludo exponere? R. neg. Ad hoc enim nulla licentia quit dari a Prælatis, quia nequit concedi licentia, nisi juxta præscripta religionis, & sacrorum canonum; hi autem improbant, quod religiosi pecuniam ludo exponant. Quapropter abusus contrarius penitus abigi debet

a religionibus. Permittuntur rationabiliter religiosi pro moderata animi remissione ludi quidam honesti; verum ludus, in quo exponitur pecunia, non est rationalis, honestus, nec decens religiosis. Unde qui eam ab eis lucratur, restituere tenetur, & e contra; æquitas quippe ratio deposcit, quod sicut lucrans a religioso, quod perdere nequibat, restituere teneatur, ita religiosus restituere debeat, quod lucrari non poterat. Alii ludi, *fortune* vocati, ut cartharum, vel taxillorum præcise ab expositione pecuniæ sunt peculiariter religiosis interdicti; unde nulla tolerantia, aut licentia honestari valent, ut diximus tract. XX. Vide disciplinam apostolico monasticam Danielis Concinae diss. 6. cap. 4.

#### PUNCTUM VIII.

##### De licentiæ præsumptæ.

125. Inq. 1. Quando sufficiat licentia præsumpta, ut religiosus licite operetur in materia paupertatis? R. Sufficere, quando Superior moraliter adiri nequit, & instet operatio; vel esto adiri moraliter possit, sincere præsumitur alio tunc velle, & gratum sibi esse; quia in tali casu non operatur religiosus nomine proprio, sed alieno, & dependenter a voluntate Prælati. Tunc autem si res consumpta est, ut cibus oblatas, non requiritur Superiori patefacere, quia inutilis est ratiificatio de re consumpta; esto semper laudarem fidelitatem subditi omnia Prælo manifestantis. Si vero res existat; tradi debet Superiori, ut ratam habeat, vel ad nutum revocet acceptio-nem. Solum in aliquo casu raro potest admitti, quod sufficiat licentia præsumpta ob ruborem petendi expressam; cum potius hic rubor petendi, vel repetendi licentia sit custos disciplina regularis, igitur nisi simul cum rubore subditi concurrat bona affectio Prælati erga eum, ex qua præsumitur velle subditum pro tunc sic operari, vel quod non possit Superior facile adiri, vel quod operatio cedat in utilitatem monasterii, vel sit levis momenti, non sufficit ad operandum licentia præsumpta; hæc enim, & non alia sunt indicia licentiæ præsumptæ. Verum ti-

meo,

meo; ne hæc licentia præsumpta, male intellecta, sit pessima noverca paupertatis religiosæ.

126. Inq. 2. An credere prudenter, quod Superior daret licentiam, si peteretur, sit licentia præsumpta, sufficiens ad accipiendum, vel dandum? R. neg. Quia ad licite operandum non sufficit religioso licentia, quam haberet, sed quam actu habet; licentia autem, quam daret Prælatus, si peteretur, actu non habetur, ergo non sufficit. Alias posset religiosus, licentia non petita, omnia sibi necessaria comparare, accipere, & retinere; credere enim debet prudenter, quod Prælatus, ad omnia sibi necessaria, dabit ei licentiam, si eam petat; si ergo hoc sufficeret, vera esset sequela. Tamen falsa est, quia, ut supra diximus, in religioso non sufficit necessitas sine licentia, utique actuali, qualis non est illa, que daretur, ut ex se liquet. Nota, quod ubi est constitutio, præscribens nihil dari, accipi, retineri, vel uti absque licentia expressa, non valet præsumpta, tacita, aut interpretativa; hæc enim non habet locum, ubi a Prælatis expressa requiritur. Apud nos pro pluribus rebus, & negotiis præscribitur, & requiritur a legibus licentia expressa.

127. Inq. 3. An, si religiosus habeat licentiam aliquid dandi, alter ejusdem conventus habeat eam illud recipiendi? R. Quod, si unus habeat licentiam dandi aliquid alteri determinato, hic sine dubio habet licentiam illud recipiendi, quia tam in datione unius, quam in acceptio-ne alterius consentit Prælatus. At quando unus habet licentiam dandi in generali, inspiciente sunt circumstantiæ, nam res, que possunt dari seculari, non semper congruunt religioso, & que conceduntur senioribus, forte junioribus non permittuntur, ergo esto unus habeat licentiam dandi aliquid in generali, non semper alter eam habet accipiendi, licet uterque sit subditus ejusdem Prælati. Non enim ambigitur requiri in utroque distinctam licentiam, quando ambo non sunt subditi ejusdem Superioris, quia licentia alieni Superioris nulla est. Igitur solum in rebus levis momenti, crebro occurrentibus, & que accipienti congruunt, præsumitur consensus Prælati in casu ques-

tionis.

128. Quidam ajunt posse religiosos ex licentia præsumpta, aut consuetudine donare, & accipere etiam in magna quantitate ea, que in religione soleat communiter dari, & accipi, ac facere aliquas donationes remuneratorias ex bonis sibi ad usum concessis. Sed hæc, & alia hujusmodi, saltem in religionibus reformatis, non sunt admittenda; quia in primis bona concessa religioso ad suam usum, nequit expendere sine licentia, alias esset non usuarius, sed usufructuarius, vel administrator. Deinde dare, & accipere in magna quantitate sine licentia pugnat cum voto paupertatis. Nec aliqua consuetudo in oppositum prævalere potest: igitur solum valet admitti prædicta doctrina circa aliquas donationes modicas; sed parva manuscula, que solent fieri benefactoribus, vel inter ipsos religiosos causa devotionis, amicitiæ, aut benevolentia fovenda.

129. Inq. 4. An taciturnitas Prælati videntis aliqua accipi, vel expendi a subdito censeatur licentia tacita, seu præsumpta? R. Non semper, sed solum, quando facile prohibere valet, & tacet, tunc enim est quedam approbatio, & consensus. At si tacet, ne querelis domus perturbetur, vel ob aliud inconveniens vitandum, est mera permissio, que non excusat subditum a transgressione voti. Advertant pro coronide omnes religiosi transgressiones contra votum paupertatis facilius committi, & difficilius emendari, qua ratione debent accuratius vitari; plures enim religiosi ob eas misere damnantur, quam ob violationem obedientiæ, & castitatis, ut ex plis documentis passim legimus. Advertant etiam fere omnes religiones ob defectum paupertatis relaxari: omnes sunt fundatæ, sicut ipsa Ecclesia in magna paupertate, deficiente hoc fundamento, sensim deficient a suo splendore, estimatione, & perfectione. Unusquisque igitur sollicite curet, ne ex sua parte deficiat perfectio, & splendor religionis, ut in fine accipiat præmium voluntariæ paupertatis, quod non solum est regnum caelorum, sed incomparabilis dignitatis potestatis judiciorum, que, ut superius diximus, ex promissione Domini competit veris pauperibus.

bus voluntariis, ut docet D. Thom. in *Suppl. q. 89. art. 2.*

130. Inq. 5. An peccent juvenes, seu quilibet personæ ingredientes religionem, ubi vita communis non observatur? R. neg. Quia usus peculii moderatus, & dependens a nutu Superiorum non est adeo illicitus, ut nequeat honestari causa necessitatis, ergo licite potest amplecti religio, illud permittens ex necessitate. Constat hoc plane in quodam Angelopolitano monasterio monialium, quibus ex sua regula, & constitutionibus approbatis a Julio II. an. 1511. permittitur præfatus peculii usus. idem liquet ex Bened. XIV. De Beatis lib. 3. cap. 41. n. 11. ubi asserit, *litium posse esse usum peculii, si ab ordinis constitutionibus, a summo Pontifice approbatis, permittitur, si regularis eo utatur in causis licitis, aut necessariis a Superiore approbatis.*

131. Igitur prædictus usus non est adeo malus, ut cohonestari nequeat. Unde religio illum tolerans ex necessitate, honeste, & laudabiliter amplecti valet. Hoc dicimus, non laudando usum peculii, sed non adeo illud reprobando, sicut quidam Junior. Si enim ejus declamationes contra religiones illud permittentes audiantur, actum est de omnibus fere sacris religionibus. Nam juxta ipsum non solum peccant eas ingredientes, sed eorum parentes, Confessarii, & consulentes eis ingressum. Ubi enim permittitur peculium, non servatur vita communis, & ubi non servatur vita communis, omnes degunt, ait ille, in periculo proximo damnationis.

132. Profecto sanctitatis prodigium S. Theresia amplexata fuit monasterium, ubi nec servabatur vita communis, nec monasterium providere poterat de necessariis monialibus, & nihilominus ibi adepta fuit mirabile virtutum incrementum, quod extreme opponitur junioris declamationibus. Imo quando exivit eadem ex illo monasterio dixit; quod remanebant ibidem quatuordecim saltem moniales tantæ virtutis, ut unaquæque earum posset fundare unam religionem, ergo falsum est peccare graviter ingredientes religionem, ubi non observatur vita communis. Numquam enim graviter peccasse S. Theresiam testantur omnes ejus Con-

fessarii: nec de ingressu in illud monasterium aliquando illam poenituit, Si autem ibidem quatuordecim saltem magnæ perfectionis animæ remanebant, minime verum est omnes in talibus monasteriis degentes versari in proximo periculo damnationis.

133. Valde distat a simili dicendi modo oraculum Christi Domini, qui eidem Theresiæ dixit *cap. 32. Visa*, quod, *licet religiones essent relaxatæ, non putaret parum sibi in eis deserviri, addens, quid esset de mundo, nisi ob religiosos?* En doctrina celestis, inducens ad venerandas, & amplectendas sacras religiones, illa enim recentioris ab illis retrahit. Nec favet ei exemplum in oppositum curus semifracti, in quo majore periculo ambulant, eo utentes, frangendi crura, quam alii, pedites incedendo. Si enim consideraret terram serpentibus scaterere, aliter discurreret, & minoris periculi diceret esse curum, etiam lasum, quam per terram ambulare.

134. In hac vita nullibi est securitas, nec in paradiso, nec in collegio Christi reperta fuit; tamen laudabile est amplecti illum statum, qui minus habet de periculo. Cogitet autem omnis impartialis pericula, & occasiones sæculi ex una parte, & ex alia cujuslibet religionis sibi agnitæ, non enim loquimur de campo Lunæ, & videbit graviora sine comparatione esse illa præ istis. Consideret furta, injustitias, fornicationes, adulteria, homicidia, quæ mundani passim perpetrant; aspiciat carceres repletas malefactoribus publicis, & alia flagitia impunita, & decernat sincere, an talia in religionibus, quantumvis laxis, adeo frequenter committantur, aut moraliter loquendo facile committi possunt? Et resolvat majora esse pericula sæculi, quam religionis, esto relaxatæ a primævo fervore. Ex duabus navibus, ad quas continuo aquæ intrant, ad unam vero majori copia per plures rimulas, minus caute obseratas, quam quæso ex illis eligere ad navigandum in portum? Vel si cui in eodem mari exponatur duplex via, seu navigatio, altera plurimis procellis, & scopulis agitata, altera his periculis minus exposita, proculdubio quilibet prudens eligeret secundam, prima relicta. Quoad in via

sumus, omnes navigamus, at sæculares navigant sine dubio inter majores scopulos, procellas, & tempestates, quam religiosi cujuscumque religionis ex his, quas novimus.

135. Utinam omnes religiones, relegato omni peculio, in vitæ communis observantia, & primitivo splendore viverent! Sed licet hoc, attenta fragilitate humana, vix sit possibile, quia hominumquam in eodem statu permanet, non ideo sunt despiciendæ sacræ religiones. Nam, ut indicat laudatum Christi oraculum, esto sint relaxatæ, adsunt semper in eis viri, adeo virtute pollentes, ut propter eos parcat Deus mundo, ut olim propter decem justos perperisset civitatibus nefandis. Manet ergo licitum esse amplecti statum religionis, etiam ubi non cum tota perfectione desiderata servatur vita communis, & toleratur ex necessitate moderatus usus peculii, a nutu Superiorum dependens. Aliud quidem est sanam doctrinam tradere; aliud sacras religiones despectui communi exponere.

136. Objic. Supra dictum est usum peculii esse illicitum, ergo inconsequenter videtur nunc asseri oppositum. R. Quod usus peculii voluntarius, aut non necessarius semper est illicitus, & quantum fieri possit, ab omni religione vitandus: at necessitate cogente, & debitis conditionis servatis, honestari valere asserimus, nec oppositum supra diximus. Imo regularem, qui sic peculio uteretur, si alias virtutum heroicis præditus esset,

posse canonizari, ait *loc. citat.* Bened. XIV.

137. Inq. An communitas regularis afferat aliquas utilitates oppido, ubi existit? R. affirm. Quia imprimis adjuvat Parochos in suo apostolico ministerio, tum in excipiendis confessionibus per totum annum, & præcipue tempore quadragesimæ, tum in prædicatione verbi Dei, & instructione catechismi, & doctrinæ Christianæ, tum in auxiliandis moribundis; non enim potest sæpe Parochus, licet sit vigilans, & solerter velit suum munus obire assistere omnibus. Quia ratione ex locis, ubi non sunt conventus, vel monasteria, continuo vocantur religiosi in auxilium, & juvamen ad hujusmodi munia subeunda, ut omnibus est notum. Verum est, quod hæc sæpius accidunt in oppidulis, ubi Sacerdotes sunt pretiosi, quam in urbibus, ubi abundant sacri ministri.

138. Præterea in oppidis sui incolatus laborant religiosi, ac serviunt ad pacificandas domos, familias, lites, rixas, ad odia, & dissidia componenda, ad solandos tristes, & afflictos, & ad alia caritatis, misericordiæ, & pietatis opera exercenda, & promovenda, ut testatur experientia quotidiana. Eadem est fidelis præco, & testis continuæ elemosinæ, quæ fit ad januas monasterii tam peregrinis, quam incolis; ultra peculiare, & secretas, quæ fiunt a piis Prælatiis. Plures igitur utilitates spirituales & corporales percipiunt oppidi a monasteriis regularium in eis existentibus.

## TRACTATUS TRIGESIMUS NONUS

### DE PRIVILEGIIS.

Sermo de privilegiis vastissimum est Oceanum. Cum igitur omnia recessere, brevitati, cui consulimus, non congruat, nec omnia reticere expediat; quædam scitu magis necessaria, magisque indubia innuere curabimus in hoc tractatu: quem ideo annectimus præcedenti